ANT. MØLLER

EPICEDIUM IN FUNUS JOHANNIS SENIORIS, DUCIS SCHLESWIGÆ, HOLSAT. ETC. ETC.


LUBECÆ 1580

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

40² - 399 DA Box
4°
(LN bis 334)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

CARL LUND

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

EPICEDIVM IN FVNVS ILLVSTRISSIMI, LAVDATISSIMIQ. PRINCIPIS, AC DOMINI, D. IOHANNIS SENIORIS, HÆREDIS

quondam Noruegiæ, Ducis Schleſuigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt, Domini ſui Clementiſſimi, gratitudinis ergò faciebat Antonius Möllerus P.

Anno χρισογονίας M.D. LXXX.

4. *Reg.* 2.

אבי אבי רכב ישראל ופרשיו׃

LVBECÆ,

EXCVDEBAT IOHANNES BALHORNIVS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

S. P.

NOBILI, CLARISSI-MO, ET MAGNIFICO VIRO, ERVDITIO-ne, pietate ſingulari, & ſapientia præcellenti Domino Nicolao Caas, sereniſſimi ac pientiſſimi Regis Daniæ Cancellario, Me-cænati bonorum ingenio-rum fideliſſimo.

Non mea gloriolæ rapitur, bone fautor, amore,
Incedens humili parua Camæna pede:
Clari nec bibulis Pactoli gaudet arenis,
O buia ſummiſſa quæ tibi fronte venit:
Laudes at decori Cimbrûm, & præconia defert
Abſumpto triſti debita morte Ducj.
Vt Rex his ergò dignetur adeſſe ſerena,
Sinceraq́ rudes voluere mente modos:
Commodet atq; tuis fidis mihi nutibus aurem,
Offero: Tu ſternes Regis ad ora viam.
Attuleris ſi ſuppetias, tu Fautor habendus
Summus, & is clemens Rex mihi ſemper erit.

Magnificentiæ
tuæ
deditiſſimus
A. M. P.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

SERENISSIMO,
MAXIMO, POTENTISSIMOQVE

Dn̄o FRIDERICO II. *Daniæ, Noruegiæ,* Gentiumq; Septen-
trionis remotiſsimarum Regi, Duci Schleſuigæ ac Hol-
ſatiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt,
Domino *ſuo deuota obſeruan-*
tia colendo.

PAtronum dextro rimari ſidere fidum,
Dedere Muſa cui ſe ſtudioſa queat,
Felicis genij eſt: eius ſic vota ſecundat,
Læuo ne cedant omine cuncta, Deus.
Colluſtrante plagas animo dum peruagor oræ
Occiduæ, talis ſe mihi pandat vbi:
Mentis vix acie quendam tenera aſſequor, hoc cui
Fœtus informis mancipo carmen ego.
Lumina conuertens tandem, quà reſpicit Arcton
Dania, Cecropiæ portus & aura Deæ,
Intueor magni promptiſsima munera Regis,
Spes è quo pendet certa patrocinij.
Non mihi ſuadebunt, quibus eſt Antarcticus orbis
Mitis, vt hic noſtro præſtet honore polo.
Hîcne facit ſe conſpicuam clementia ſudi?
Crebrius hîc Muſis ſpirat amœnus odor.
O Friderice potens ſalue, tua Regia ſalua
Maieſtas, æuum viuat in omne mihi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Ad te, Caſtalidum veluti diuertor Aſylum,
Hoſpitio Clemens excipe dona precor:
Reſpecta placidus, mittit quæ abiecta Phaſelus
Poſt longè Andini Vatis habenda ratj.
Fraterno Senior tibi ſi dilectus amore eſt
Ioannes Princeps, vt tibi carus erat:
Haud dubiè numeros non aſpernabere noſtros,
Pectine quantumuis pauperiore datos.
Eius ego meritò lugubria funera plango,
Patria vt hoc omnis condolet orba Duce.
Incumbis quoq;, Rex, nimio tu celſe dolorj,
Luctibus imponens vix aliquando modum.
Plores, eia, habito largi moderamine luctus,
Decedat vitæ portio ne qua tuæ.
Hinc te ſi ſuperûm Libraria ad aſtra vocaret,
Poſt Aganippæis quis foret aura vadis?
Dij ſed felices aderunt, mandata ferendo
Ad Lacheſin, neat vt ſtamina longa tibi.
Pegaſidum ergò modos poſthac ſi aſpexeris æqua
Fronte, bonæ mentis fama perennis erit.
Annueris modò Rex, (fuerint dum viuida vitæ
Fila meæ) cœlo te tenus vſq; feram.

Regiæ
tuæ
Maieſtati
ſubiectiſſimus
Antonius Mollerus Pomeranus,
Conrector illuſtris Scholæ
Bardesholmiacæ.

EPI

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

EPICEDIVM
IN OBITVM ILLV-
STRISSIMI, LAVDATISSIMIQ. PRIN-
CIPIS AC DOMINI, D. IOHANNIS SENIORIS,

*Hæredis Norwegiæ, Ducis Schleſwigæ, Holſa-
tiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitis
in Oldenburg & Delmenhorſt,
Domini ſui clemen-
tiſsimi, &c.*

O Funeſta dies, ô formidabilis anni
Suſpenſum incutiens mentibus hora metum.
O prima Octobris furuo infamanda lapillo
Lux, intempeſtæ noctis iniqua parens.
Læticiæ ô datrix aliàs, vindemia, tu nunc
Octogena malo cimbrica rura premis.
O te fatidici fore prædixêre priores,
Omina quîs nullo vana fuêre modo.
Expediam mihi cur, optas, iniuria tecum?
Accipe: Cauſa patens non ſinuoſa datur.
Heu: DVX IOHANNES in te committere tantum
Quid potuit, per te qui iacet exanimis?
Nonne grauis pietate fuit, ſeruantior æqui,
Laurigeræ & Princeps ipſéne pacis amans?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Cœlebs traduxítne probæ ſua ſecula vitæ?
Contulit in multos non benefacta libens?
Hunc ceu Semideum decuit ſeruaſſe, præeſſet
Seras vt Patriæ viuus Olympiadas.
Proh dolor inuiſæ præuentus tempore mortis,
Tithoni ſenium viuere dignus erat.
Heus tumbæ numerum, te poſtulo Steſichoreæ,
Te quia lethifero vir perit hoſte grauis.
Aſt ego te contra nequicquam tendere nitens,
Fluctibus aduerſi fortè repugno ſali:
Temporibus nam fata regi, vel tempora fatis,
Quis negat, atq; hominem lege manere ſtatā?

Cometa anni 77.

ANnis illuxit radians crinita ſi premis
Stella, ipſam vires exeruiſſe ſcias.
Hac primum viſa, DVX inclytus ore profatus
Mœſto, fata virûm celſa minatur, ait.
Heroum talis iacturam ſæpe potentum
Inſignem ſecum non dubitata trahit.
Hei proprio capiti metuo, ne ſæua periclā,
Mentibus aut primis damna ſtupenda notet.
Fata mei quondam patris ceu ceſſerit ante,
Sic mihi, quam vereor, lucida ſtella micat.
O mihi ſis fœlix, inquit, Deus alme, benignā
Tu ſeruum clemens aſpice fronte tuum.

At

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

At ſubiectorum votis cum Principis, inter
Non poſitis, anima hinc illius aſtra petit.
Hanc videas ſuperæ præluſtris vt arcis adumbret Cometa anni 80.
Stella caput paſſis nunc redimita comis.

INſuper ante diem lethi, quem clauſit, auari,
Supremum Holſaticæ tuta columna domus,
Exurgens cœli facies ſub nocte tremenda
Non ſecus ac multo tincta cruore foret,
Cernitur ad creperæ taciturna ſilentia noctis,
Orbis & eöi climata chaſma rubens.
Hócne fuit præco feralis, præuius vt ſic
Luderet Herois funus adeſſe citum?
Quòd ſtygiæ fuerit, dices, anteambulo ſortis,
Expetijt feretro quem Libitina dari.

HVnc mox inſequitur, mortales quæ occupat artus,
Sæua lues primis pernicioſa viris.
In iuuenes quamuis pariter diſcrimine nullo,
Percita ceu furijs, ſæuieritq́ ſenes.
Eſt rarus, rapidum cui non Epidemia virus
Afflârit raui membra trahendo pigra.
Suſtulit hæc ſummum patrij decus atq́ vigorem
Holſtenici fidum præſidiumq́ ſoli.
Ferri ita fatali mortalia cuncta tenore,
Quis vocat in dubium? Terminus ipſe probat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Ah qui non imo lachrymas è corde cierent?
Afficeret quos non tanta ruina Ducis?
Pectora, non fallor, geſtent obtuſa neceſſe eſt,
Aut Pyrrhæ ſaxis aſperiora feris.
Certè vbi Dux vacuas fuerat dilapſus in auras,
Iuppiter aſperſit flumine largus humum,
Mœſticiæ ex alto veluti dans ſigna receſſu
Ætheris, vt faceret corda dolere pium.
Concidit hoc pacto ſyluis referentibus ægri
Exemplar luctus ingeneratus honor:
Perculſa Aſtræi ſoboles ſic murmure vaſto
Condoluit, properam mortem obyſſe Ducem.
Quin & Neptunus fluctus ſolito grauiores
Euomuit, pelago triſtia ſigna notans.
Si Tellus igitur, Nereïdes, humidus Aër
Ingeminant leſſus horriſonumq; μέλος:
Nos etiam, vt par eſt, Elegos fundamus, & imbrem
Senſibus extortum, qui riget ora calens.
Exemplo nobis Peliden turba Pelaſga eſt,
Et miſerè deflens Hectora Troia Ducem.
Tu Sophiæ cultrix pubes ſtudioſa, Patronum
Ereptum, haud ceſſès plangere, morte tibi.
Induti pullæ lugubri veſtis amictu,
Ornemus querula funera voce cita.
Soluamus Patri patriæ pietatis honorem,
Inferys manes condecorando pios.

Nam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Nam ſua virtuti memorandæ præmia reſtant,
Cuius in hoc viguit ſplendida imago Duce.
Suggerit hanc animus rediuiuam carmine culto
Reddere, blanda foret ſi modò vena mihi.
Pieri, ſi potis es, lachrymarum parca, labori
Incepto appoſitum ſuffice, Muſa, decus.
Exequere & preſſis numeris, tibi venit ad aures
Tanti quæ vero conſona fama viri.

OBſcurum non eſt, fuerit quòd Regia proles
Præcelſo Danaûm ſanguine creta Ducum.
Clarus ei genitor Fridericus origine celſa,
Mœnalij qui Dux Regius orbis erat.
Regno hic ſucceſſit, Chriſtierno ſede remoto,
Regali aureolas comptus honore comas.
Eximium fuit & genitrici nomen honoræ,
Qua Sophiam tenero Dux bibit ore puer.
Sicut enim Sophiæ dignata eſt nomine mater,
Gnatus ſic ſapiens floruit inde ſatus.
Indidit huic nomen tingendo flumine ſacro,
A ſe quod voluit GRATIA DIA datum.
Indole præfulgens fuit ætas primula, qua ſic
Eſſet doctricis Palladis apta Deæ.
Huic ſtuduit, Bonno vitæ morumq; magiſtro,
Cui facilè obiectans terga regenda dedit.

Eius, vt Hogreuij iuxtà non dicta refugit,
    Sciret quæ ſtudij calcar habere pij.
Prodijt Arctoæ hinc laudatus Cherroneſi
    Princeps, Durolithæ gloria prima domus.
Virtutum is merito, quis poſt inclaruit auctus,
    Non querula aſt Phœbi dignus ouante lyra.
VIrtus nam Pietas ſobolis non deuia ductrix,
    Hunc ſaluandorum tendere fecit iter.
Pompilium voluit quoq; relligione celebrem,
    Priſcis cui ſeclis nemo ſecundus erat:
Aſt infallibilis Triados iam numine fulta
    IOHANNEM longè collocat ante Numan.
Huic latio circa veſtales cura puellas,
    Et veſtæ crepitans enthea flamma fuit.
Ille cuculligerûm veſtes, reſideſq; fugauit
    Ventres, ritè, monens, ſacra dicanda Deo.
Holmia teſtis erit Schola quondam habitata ſeueris
    Vrſis, dein Monachûm clauſa cauerna gregi.
His pulſis ſtatuit Princeps Luco de Arctoo
    Numinis inſtinctu docta Lycea pius.
Quæ, fuerit vigilans quædam ni cautio (verum
    Omen inane velim) næ cynoſarges erunt.
Augiæ ſtabulo ſtatio eſt ibi nulla, moloſſus
    Quò vaga caudatus regna capeſſat edo.
Nam res ſic, cœno vacuis gaudentia tectis
    Ne cadat augurio, Numina Diua vetant.

Ergò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Ergò ea poplitibus ſunt compellanda recuruis,
Sincerum iuncto cor feriente ſono:
Sufficiant, greſſus inſtet qui Principis olim
Cimbro declinans noxia quæq; ſolo.
Chriſti Eccleſiolam dextra tueatur egenam
Diuite, ne iaceat frigida, pauper, inops.
Ah Pietas aſſertorum certè indiga, plures
Aſſciſcas, tua ſi proſpera regna voles.
Inſculpi poſſent palæ annelli (velut ille
Claudij ſcurra canit) tot numero quot habes.
Theodoſij & Conſtantini pia diceris altrix,
Vt quibus indideris lac pietatis auens.
Carmine mouiſti ſacro cunabula Othoni,
Fouiſti & gremio pectora terſa Probi.
Caro, Sigmundo, Friderico, Maxmiliano
Fixiſti ambroſio baſia melle lita.
Extra hos lecta dabis paucorum nomina, puræ
Semet quæ ſectæ ſponte dedêre tuæ.
Chriſtianus tamen his, ſeptem qui ſceptra Trionum
Rex geſsit clemens annumerandus erit.
Ille, Selenites ceu fulget imagine Phœbes,
Sic Chriſti nituit nomine conſpicuus.
Adde Ducem quondam noſtrum, haud errabis, auiti
Ingenij retulit qui ſimulachra pij.
Illius auxilio, nequeunt quod iure negare
Sunt ſacra prælargis pinguia fana bonis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Olim teſtis erit cœli chorus aliger, eius
    Orbita quòd ſanctum cauta meârit iter.
PAndere ſed mens fert, quæ cætera ſit Pietatis,
    Qua fuit accinctus Dux, generoſa cohors.
Inuiſo nondum Parcis hoc principe quondam
    Stante, ſimul ditio cimbrica ſalua ſtetit.
Tunc quæuis legum radijs peragenda, ſolebat
    Æqui monſtrato tramite cauſa regi.
Vincula tunc recti Rhamnuſia fouit in aruis
    Stormaricis, fida iuta ſorore Themi.
Vt tamen hoc addam, ſtrinxit non iura Zaleuci,
    Arbiter at facilis nouit habere modum.
Ad viuum lapſus, errataq́ue lege Draconis
    Sanguinea duxit non reſecanda ſtatim:
Sed quandoq́ue parum rigido de iure remittens
    Mitis parcendo maluit eſſe reis.
Vt Traianus erat, qui ergaſtula compede ſoluens
    Finibus excuſsit non reditura ſuis.
Hic, vt proſtratis leo, ſæpè indulſit, vt Inda
    Erranteſq́ue viæ Bellua reſtituit.
Manſueta ô quàm ſunt Phario hæc inimica rigorj
    Pectora, quæ ſaluum ius tamen eſſe volunt.
Res nam pro merito trutina moderantur vt æqua,
    Vel caſtigata dando cuiq́ue ſuas.
Suppoſitum ſexus commiſti ceu Iouis ales
    Ni fouet Aetiten, pignora nulla parit.

Exper-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Expertes ſic iuſticiæ iuxtà & pietatis
Dij, nunquam reddunt ſubdita colla iugo.
Dux ergò aſſuetus noſter virtutibus hiſce,
Talibus & fecit moribus eſſe gregem.
Ecquid Eberardo laudi fuerit potiori,
Quàm eſſet vt ad mores æmula turba ſui?
Hic in magnatum conſeſſu aliquando rogatus,
Quo magis afflueret pondere clarus opum,
Diuitÿs ſe, infit, metiri non ſua regna,
Sed fida fretum viuere plebe domi:
Quin ipſam tanti celebrat candoris, vt auſit
Omnigeno ſinui condere molle caput.
Qua Comes, en, oræ Charitinæ charus, eadem
Lege fuit noſtri mens Ducis alma ſuis.
Hæreo quem memorem hunc: admouit amabilis aurem
Poſcenti auxilium ſupplice voce ſibi,
Vlla nec impenſè reiecit vota petentis,
Quis ſatis haud aliqua fecerit ipſe via.
Sed quid ago? fluitans ſenſim ni traxero velum
In mare carminibus ſe dabit acta ratis.
Mercibus hoc nihili ſi naue petiuero onuſta,
Non deerunt Momi ſpicula cæca vafri.
Sint vaſtæ moles age ſint præruptaq́; ſaxa,
Ire iuuat ceptum, nil moror illa, locum.
Ipſa ad Iuſticiæ prolis me tecta volutans
Dirigo nunc proræ roſtra fauente Noto.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

ORbi heus quadrifido dic commoda, filia matris
Iuſticiæ, miris P A X veneranda modis.
Nulla tuo potior ſedato nomine regnat
Fœmina, tu virtus inclyta, quæſo, refer:
Cimmeriæ preſſitne tuas tenus ore papillas
Dux olim? taceas, annuis ore tamen,
Nutus & indicio eſt, cùm ſit tua ſigna ſecutus,
Te leni matrem fronte referre Ducis.
Te ſanè expeterem numeroſa prole beatam,
Dedita qua bello turma quieta foret.
Longè te numero ſuperat Bellona Quiritum,
Fluctuo, ſit fœtus cur magis illa ferax?
Partum, naturæ vis fortè aduerſa, ferentis,
Hic nunc ſit facilis nunc grauis ille, facit.
Lucinæ quare quæ ſcit ſufferre labores,
Intrepidis auſis pignora denſa fouet.
Altera ſed cùm ſit blandæ deuota quieti,
Altera Mauortis perſtudioſa feri:
Iohannis placidum regimen velut argumento,
Id ſuſtentatum te moderante, rato eſt.
O Pax læta quibus te dignam laudibus æquem,
En tibi poſtremas haud locus inter erit.
Quis negat hoc ſaluo pacata & florea regna,
Nexibus & ſtabili conſolidata fide?
Næ ſtatus hoc viuo rerum tolerabilis, atq;
Mortali facies cuiq; ſerena fuit.

Fœdera

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Fœdera tunc pacis ſunt icta auguſta togatæ,
Ægrè quìs Marti ceſsit amica phalanx.
Prælia quòd fuerint fecit Theomarſica faſtu
Turgida gens, patriæ mœnia ſalua volens.
Seruitio & penitus ſtuduit dum libera, ferrum
In ſe vertendum præbuit ipſa Duci.
Huic tamen inuito tardoq; ad bella, rigentem
Auro deiñ libat conciliata Scyphum,
Declarans ſpecimen per eum non mentis auaræ,
Pro tam ſedati mente fideq́; viri.
Marte hoc placato fuit Imbriæ ἀναίματον *oræ,*
Imperium florens pace, cruore carens:
Qualis Alexandri ex Mammæa ſanguine fuſo
Conditio fertur caſſa fuiſſe nigro.
Alter at edomuit ſpacioſum belliger orbem
Quîs valuit technis, ſeditione, nece.
Sicut & arma tulit Cimbrorum exercita prædis
Gens quondam, nomen traxit & vnde ſuum.
Fertur enim Rex his Cimbrum (quem Gallia ponti
Prædonem vocitat) Magnus adiiſſe ſonis:
Tu quis? tuq; tenes mare cur, mox ora reſolue
Infeſtum? cui ſic, ſum latro, Cimber ait:
Expedio pauca quòd ego nunc claſſe Celeuſtes
Piratæ vocem vendico iure mihi.
Nomen at, eximia vi tu quòd ſub iuga ducis
Mundum, ſic ingens Induperator habes.

Diſci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Diſcitur hinc annis vixit quæ pluribus ante,
Et contrà hoc quæ ſit cimbrica turba die.
Nouimus expanſis ea quîs protecta ſit alis
Flebilis vt fuerit libera pænè metus.
Sed facit hæc multos animis pendere ruina,
Copia ſiue boni ſitue futura mali.
Ancipites hærent, & præ terrore futuri
Abſcondunt cryptis corpora mœſta cauis.
Lamentis complent ægris ſua tecta, vocantes
Defuncti vana nomina clara prece.
Fortè vel euenient expectatis meliora,
Reſpectant aliâs numina ſi qua pios.
Quid garris, olim noſtro tamen apta fuêre
Principe pandari neſcia pænè iuga.
Exciſa miti tu ſtirpitus arbore cenſes
Vna, molle nemus non dare poſſe Deum?
An Chriſtus, tibi, noſtra ſalus expers bonitatis,
Illius aut viſa eſt abbreuiata manus?
Subſtituet talem, qualem tua vota repoſcunt,
Cœlipotens vno deficiente Duce.
Demiror ſanè, dulcis quòd ſedibus aulæ
Iræ percupidus ceſſerit acris amor.
Namq; furor quoties rigidis inceſſit agreſtis,
Eſt duce ſublatus præſide pectoribus.
Adde quod Empedoclis quantumuis viſa ſimultas,
Hoc compoſta fuit tetrica, ſpe citius.

Sæpius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Sæpius in cauſam vulgo à mordace vocatus
Interpres mira ſuſtulit arte malam.
Pacifici hinc, potius quo non eſt, nomen adeptus,
Verbo inſignitum, PACIFICATOR adeſt.
Imperium placidum fuit eius vt εἰρηνάρχου,
Fridrici Regis, vel Salomonis onus.
Sed me venari dicet quis forte lucellum
Sideris in numerum ſæpè ferendo Ducem.
Fallitur: hæc refero quæ non interlita fuco,
Nec quæſtu gaudent ſe temerare nouo.
Pauper ei grates modò poſſet Muſa referre
Dignas, commeruit pro bonitate decus.
O vtinam poſthac eadem tranquilla minores
Secula tranſigerent, quæ potiora forent?
Præſuauis res, ſi ſteterit compagibus arctis
Inuia terriſonis hoſtibus aula Ducum.
At niſi concordis fuerint oracula pacis
Conſulta, haud ſtabunt ferrea caſtra throni.
Hic ſit vt immotus, paci patientia iuncta
Accedat palmam diſſimulando ferens.
Mens patiens nebulas facili quaſcunq; labore
Diſcutit, atq; ocij vincit amore minas.
Leniter irarum ſimul hoſtica flabra propellit,
Stigmata nec famæ ſentit inuſta bonæ.
Vt vix percipiunt tactu tormenta, Cayri
Cum poſca ſumpto marmore membra lita:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Vſura nam, mirum adeò, Memphitidis, arctus
Membrorum dolor & læſio tetra fugit.
Non minus & capiti ſi dextera pinnula Phocæ
Subditur, exoluit membra dolore graui:
Imò recidendos artus ea corporis, atq;
Senſibus emotis oſſa ſtupere facit.
Inflictos ſibi mens tolerans ſic ſuſtinet ictus,
Commodat &, pugnæ quàm ſtudioſa, magis.
Præterea ut ſolidi munimina fortia regni
Arctentur requie, vota preceſq; valent.
Hæc animum Martis poſſunt lenire frementem
Ad ſaga municipes ne vocet ire ſuos.
Hæc faciunt poſitis miteſcant ſecula ut armis,
Dira ſit & Iani ianua clauſa domus.
Vltrices iras, atq; effera pectora Erynnis
Demulcent, furijs exagitata licet.
Agmen & Eumenidum nomen ſine pectore geſtans
Turbant, ne fraudes inſidiaſq; parent.
Ingluuiem ſiſtunt rapidam inſatiabilis orci,
Cocyti auertunt humida regna bonis.
Parcarum nulla morſus ratione morantur,
Quantumuis celeri pollice penſa trahant.
Deniq; ſincerum penetrans Oratio pectus,
Cordis remigio eſt anchora tuta pij.
Hæc ſtygias Erebi ſedes Ateniq; profligat,
Quæ Princeps cuncti dicitur anſa mali.

Anti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Antidoton contra præbet res quaſq; nociuas,
Omne malum tollens, ſit licet indomitum.
Hircus vt eneruat vires eduri Adamantis,
Frigora feruenti ſanguine cruda domans.
Vtq; mero ſemen rapi ſi ſumitur, ictus
Serpentum, & quæuis toxica dira fugat.
Sectiuum vtq; praſum ſtillantes ſanguine nares
Obturat, flumen longius ire vetans:
Sicnè precum, caſus contra peſteſq; malignas,
Continuus multum ponderis vſus habet?
Sanè tanta precum vis cùm ſit, iugiter oret
Quiſq; ſibi poſthac ſecla ſerena volens.
Quin vacet his totus, cœli Rex lenis, vt orbis
Summos dignetur flectere pace Duces.
Hanc feriat, Regem celſum, Ducem & inter Adolphum
Quorum defuncto charus vterq; fuit.
Ipſos nunc veluti germanos viuere faxit,
Theſæa iunctos, & ſine Marte, fide.
REſtat, vt & caſtum perſtringam Principis æuum,
Perpaucis ſtatuens cepto aliquando modum.
Terrigenûm nemo vitali veſcitur aura,
Vitam non qua qui labe notatus agat.
Chriſtum extra, verbi pandunt vt dogmata ſacri,
Secula perfectum nulla tulère virum.
Naſcimur ex æquo nobiſcum errata ferentes,
Impietatis habens plus ſed hic, ille minus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Hic animo verſat quandoq; incongrua ſummis
Legibus, his contra deditus ille magis.
Moribus hos inter vita quoq; nobilitato
Caſta, defertur iure celebris honor.
Ergò Duci noſtro deeſſet? qui puriter æuum
Duxit inoffenſum ſcandala vafra cauens:
Illius haud æuo laus nota intercidet vllo,
Quam vita indepta eſt principe digna pudens.
Cordis in abſtruſis etenim penetralibus hæſit,
Sicut & ingenuus fulſit in ore pudor.
Ex hoc vnquam opicos ſermones auribus hauſit,
Culpandi aut facti quis meminiſſe poteſt?
Illecebras fugit veluti Syrenos Vlyſſes
Ignis furtiuos effugiendo dolos.
Viuere præterea gaudebat comparis expers,
Promiſsis cupiens rebus ineſſe fidem.
Nam fratres inter conuenerat, eſſet vt alter
Connubij ſocia diues, at alter egens.
Dux ergò manſit conceſsis fratri Hymenæis
Cælebs, non ſocij captus amore thorj.
Quò minus Hippolyto conferri poſsit, an obſtat
Quid? quantum conſtat, nil puto ſiue parum:
Rectius exploret quamuis indagine, cordis
Humani rimans abdita quæq; Deus.
Vt noſtris oculis perſpectu adapertile quodq;,
Illi ſic facilè eſt cernere quodq; latens.

Prin-

Principis haud dubium eſt, ratio quin optima vitæ
Iuuerit aſtrigeri numina caſta poli.
Præcipitata etenim talem ſe ætate gerebat,
Ortu primæuo qualis ab vſq; fuit.
Moribus integris imbutus vixit honeſtè,
Supremi ad rapidum funeris vſq; diem.
Oci erat extremus vehemenſq; ignobilis oſor,
Quo ſolet inceſtis lapſibus anſa dari.
Ludicra deuitans metris indulſit amœnis,
Se quîs deuouit nocte dieq; Deo.
Sedulus euoluit ſacri monumenta libelli,
Heroum nutus diſceret vnde bonos.
Compoſuit ſeſe ad virtutum exempla, modeſtè
Pacem & ius cana cum pietate colens.
Quid loquor? inceſſus, vultus, mens, ora pudica,
Grandia morati ſigna fuêre Ducis.
Inclytus at iacet hic ſponda compoſtus abena,
Virtutum quæſo quid iuuat ampla ſtrues?
Iugis erit virtus, quantumuis ſtannea corpus,
Exors venifluì ſanguinis vrna tegat.
Hoc meritò caperet Chernites, quo haud dubitarunt,
Regis Achæmenidæ corpus humare ſui.
Præcauet hic etenim, ne adedens exangue cadauer
(Vt perhibent) caries, neu qua putredo petat:
Qualis ſeruari proba vita libidinis hoſtis,
Luxuriæ innocuo ſalua putrore poteſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

SEd quia conciſa poſthac breuitate Lacones
Nudi relliquias carminis eſſe iubent:
Pareo mandatis etiam reſtrictior, etſi
Poſceret officij plus opulenta manus.
Quo ore Ducem dictum, qua fronte quis arguat? eius
An vola cui merito tarda negârit opem?
Haud reor, vt Charitum præſtanti nomine diues,
Poſsit cùm multum, re velit eſſe tenax.
Aura ab eo ſpirans homines in rebus inanes,
Conſilijſq; inopes, plena fauoris erat.
Illius ſtudio victus cui ſuppetit, hic &
Exoluit grates optima quæq; precans.
Inprimis illa ægra domus, quam amplectitur Hadro
Chara vrbs, & largis ſumptibus eius alit.
Cunctaq; mens animo, verbisq; eſt grata, potenti
Munia quam propter præſtita iuuit ope.
Munificus ſic Alfonſus moderator Iberi
Sceptri, ſic Magnus Carolus ille fuit.
Horum ſubſidijs Muſarum iugiter hortus
Irriguus largo ſemine fluxit opum.
Nunc etiam terræ victum Dux plurimus aulæ
Subtrahit arenti, dum leuis humor ineſt.
Sic æuo currit tam ſcabra aduerſa priori
Tempeſtas: cuius non ſubit oſſa dolor?
Primates inter quis delectatur amore
Aonidum, impigra eas ſedulitate fouens.

Vixe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Vixerunt. Quos virtutis tam nobilis ergò
Vincere par eſſet Neſtora decrepitum:
Hos nempè anguſtus (miſerabile) terminus æui
Excipit, & fixo limite meta breuis.
Viueret ô toties Heros dictus mihi, ſoſpes,
Portio permultis ſurgeret ampla ſtipis.
Si foret Æſclapij, qua Virbius ille reuixit,
Vis mihi, tentarem hunc mox reuocare Ducem.
Molior at quid ego? cur irreuocabile, votis
Fortè quod inſulſis poſsit obeſſe, cio?
Luſtra cui dederint vndena, & Olympias vna
Vitam, non vegeto prorſus honore caret.
Hic fato meliore fruens terreſtria ſpernit,
Membra licet tacito preſſa ſopore cubent.
Vi ſe haud vult panacis, polij, baliſq; cieri,
Vitam vel functo ſorte redire ſibi.
Non horti xyſtus, non pergula floribus halans
Suadebunt dulces rurſus adire lares.
Verna iuuant autem recaui topiaria cœli,
Robore non hominis ſed fabrefacta Dei.
Hic animus reſidens geſtit compage ſolutus
Corporis, extremi temporis vſq; memor.
Priſtino enim, hoc ipſo, confidit cuncta nitori
Reſtitui, quæ ſunt Spiritus atq; caro.
Haud dubiè & puram pertentant gaudia mentem,
Reſtantis cùm ſit libera facta mali:

Tum

Tum quòd ſedato niſu expirauerit auras,
Fato præproperos accelerante gradus.
Hanc mortem quamuis ſubitam ſibi Iulius optet,
Præferat & lentæ clarus Amyntiades:
Eſt ea non noſtris tamen accerſenda querelis,
Mors tempeſtiuo plus inopina venit.
Sæpè moras Clotho nectit diducta trahendo
Fila, ſit & crebrò ſoluat vt ante diem.
Teium confecit nonnè vuæ bacca Poëtam?
Os piſcíſne alij ſtrinxerit acre gulam?
Spirandi Fabio interclusit nonnè meatum
In potu lactis ſeta liquente leuis?
Exitus at quis hic eſt? incertus ſæpe ſalutis
Deſperans rutili regna beata poli.
Quare homini præceps cum ſors impendeat, hora
Inſtituat prima ceu moriturus iter.
Supplex ſitq; Deo, tenebris ne offuſcet ocellos
Æternis claudens mors violenta ſuos.
Quòd properata Ducem vita priuauerit, æqui
Iudicij excuſant myſtica fata Dej.
Mentibus hinc ſummis ſublatis morte rapaci,
Mens, regna in pœnas terrea, Dia, trahit.
Hoc grauium crebrò notat importuna virorum
Mors, quibus eſt ſummæ maxima cura rej.
Anceps ergo ſalus tanti non principis hæret,
Cui tot virtutum copia fauit amans.

Illarum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

ILlarum effigiem monſtrant Inſignia, iunctus
Vrticæ Clauus, Trabs, Leo, Lydus Olor.
Vmbroſis ſicut tectis trabs fulcra miniſtrat,
Roboris atq; ſui conſcia geſtat onus:
Sic pietas proba virtutum eſt fulcimen, ad hæret
Cui ceu nixa baſi cætera turba ſequax.
Si fit vt arctetur clauo ſuffixa trabali,
Se hinc tamen extricat relligione nitens.
Virtutis tantæ eſt, cuius ſplendore refulgens
Dux verè trabs eſt, pilaq; firma domus.
Quid triplicis pandunt Inſignia ſæua Leonis?
Sydereæ Triados iura colenda fide.
Ac quandoq; monent laxanda repagula iuris,
In quæq; vt Leo non obuia ſæuit atrox.
Dic age portendit quæ læta Cayſtrius ales?
Pennis velatis eſt nota pacis olor.
Hic æuum tranquillus agens in margine ſtagni,
Præcidit litis ſemina dira grauis.
Hoſtis at accitu, facilè eſt, victricibus alis
Vt Iouis armigerum ſternat acerbus humj.
Quid folium vrticæ? Vitæ myſteria caſtæ
Arcentis ſtimulos feruidi amoris habet.
Purior hæc clauo eſt, noti ſi neſcia praui,
Ignibus & vetitis intemerata manet.
Gutture quid Cygni niueo ſuſpenſa, Leonis
Aut impoſta ſuper picta corona iubam?

D Aurea

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Aurea, regali deſignat ſtemmate clarum,
Propenſa in meritos dona decere virum.
Hoc decoris retulit Cimbrûm Dux vbere cornu,
Fila cui, ah Lacheſis curta fuêre nimis.
O verè fœlix vitam ſic morte paciſcens,
Puro virtutum tot comitante grege.
Quare turba viro tanto deſerta, querelas
Pone, Dei & mordax carpere fata time.
Signorum ſimili congeſto te aggere fulci,
Languida, quò ſumat robora firma, fides.
Verticis hæc etenim conuexi limina pandunt,
Sternitur his cœli præpes ad aſtra gradus.

DISTI

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

DISTICHON NVMERALE, CVM SYMBOLVM, TVM ANNVM

obitus Principis quondam Holſatiæ Illuſtriſsimi, Ioannis Senioris, τοῦ νῦν ἐν δστίοις, *compre- hendens.*

In te, fVLgentIs, Mea ſpes, qVI reCtor AtLantIs,
Eſt VLLa InſtabILIs neſCIa parte VICIs.

SYMBOLVM GER- MANICVM.

Auff dich traw Jch mein HERR vnd mein Gott / Las mich zu ſchan- den nimer werden.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 334 [40:2,-399 4°]